

sibi volunt ista? Numquid servi pigri ita Christo Domino loquentur in iudicio? Non sane, sed refellitur hic objectio, quam aliqui facere possent, dicentes: Deum inique agere, quod exigit a nobis bonum usum talentorum, seu bona opera ac merita, quæ ipse non seminavit aut sparsit: quodque non habentes ejusmodi merita, severissime castiget et puniat in æternum; itaque hæc exigere ab hominibus, duri et iniqui domini esse. Neque enim dubium inveniri aliquos homines inimicos crucis Christi, et ad bene operandum pertæsos, qui dum cogitant bene operandi difficultatem, peccandi proclivitatem, districtum Dei iudicium et infernum paratum esse ignavis, optant, ut vel nunquam nati, vel pecora facti essent, ne tantum subire periculum et Deum experiri iudicem cogerentur. A quibus parum absunt nostri hæretici, cum bona opera excludunt, eo quod Deus æquo durior esset, si post Christi merita et satisfactionem nostram exigeret. Ita enim mandatorum divinorum observationem impossibilem esse dicunt. Hanc itaque objectionem seu murmurationem refellit Dominus dicens: *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Quibus verbis ostendit Dominus se non dure aut inique agere, si exigit a nobis merita et lucrum ex talentis, quia jure id, quod suum est, repetit cum usura. Ad hæc si scivit servus piger severum esse Deum in exigendis rationibus, tanto magis eum timere debuisset, et commissæ sibi talenta fideliter expendere. Itaque talenta sua conferre in nummularios debuisset, hoc est, doctrinam suam auditoribus, pecuniam suam egentibus, etc. com-

municare, ubi sœnus spirituale acquirere potuisset. Unde Prov. XIX. dicitur: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Subdit Dominus: *Tollite itaque ab eo talentum et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo: et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Primo, auferetur servo malo talentum, quod non habet, sed videtur habere, quia nimirum non utitur eo: sicut avarus non utens pecunia, non habet eam, sed videtur habere tantum, quia habet sine fructu. Auferetur id in morte, quando nihil ei proderit, hoc talentum habuisse.

Secundo, talentum servi mali datur servo bono. Servi boni industria tanto amplius clarescit in iudicio, cum ignaviæ servi mali opponetur et quando dicitur: *Ecce hic ignavus unicum talentum suum noluit duplicare, cum tamen ille sedulus duplicavit quinque.*

Tertio, jubetur mitti in tenebras exteriores, *ubi erit fletus et stridor dentium.* Tremenda proventus sententia. Si enim sic damnatur, qui omisit bene agere et lucrum sibi parare, quid fiet illis, qui mala commiserunt, et bonis male usi sunt? Itaque sæpissime cum Davide dicere et orare deberemus: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Istiusmodi enim delicta, quæ per negligentiam et omissionem committuntur, maxima pars hominum non intelligit, non videt: ideoque occulta sunt, quia peccata non reputantur et multorum oculos fugiunt. Aliena etiam sunt, quia per nostram negligentiam, dum alios pro officio nostro non doceamus, non monemus, non corrigimus, ab aliis committuntur.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

VITRA PERNICIOSA QUI PARENTES IMPONANT SUIS FILIIS.

Qui parentes perniciosi filiis suis. — I. Qui magnas divitias eis conquirunt. — II. Qui delicate eos educant. — III. Qui vinum teneræ ætati indulgent. — IV. Qui liberis suis laqueos ponunt.

THEMA.

Vocavit servos suos et tradidit illis bona sua. Matth. XXV.

Non dubium consuetudinem illam, qua parentes hodie munuscula donant filiis suis tractam a

laudabili exemplo S. Nicolai, passim jam noto. Verum optarem ego, ut munuscula illa, alia non essent, quam quod Germanis sonat nomen Nicolai, quem appellant nomine, quasi dicant: Non vitrum. Ipsum ergo Nicolaum cuperem donari liberis a parentibus: Nolo vitra dari. Sed quæ sunt illa vitra? Audiamus.

I. Reperiuntur parentes, qui opes magnas interrogant, et ad hoc solum attendunt, ut filios divites post se relinquunt. Sed hæc divitiæ, quid sunt nisi vitra? Friderico III. imperatori, cum aliquando Venetiis ageret, obtulit senatus pro munere abacum, plurimis affabre factis vitris ador-

natum. Imperator, ut doni levitatem legalis ostenderet, innuit morioni, ut in abacum impingat. Fecit, evertit, et omnia vitra confregit. Tunc imperator subridens: *Nunquam aurea vel argentea, inquit, tam cito fracta fuissent,* Dubrav. l. XXVIII. Jam parentes qui hoc solum agunt, ut filiis magnas opes relinquunt, nihil aliud agunt. Sed nos aurum et argentum, inquit, non vitrum eis paramus. Respondeo, etiam aurum et argentum illis quasi vitrum esse; quia aurum et argentum facile perdi et prodigi potest, præsertim si in id impingant stulti filii: facile enim filii profundunt opes, quas suo labore non pararunt, ideoque æstimare nesciunt. Apicius Romanus quindecies centena coronatorum millia a parentibus in hæreditatem accepit, et cum 4400000. abligurisset, rationeque inita restaret ei solum centena millia, sibi ipsi manus intulit, Dion. in Tiberio. Salomon multas utique divitias filio Roboam reliquit: sed is quia stultus fuit, stultorum adolescentum consilia secutus, decem tribus a se abalienavit; et quia timidus, impius, et ignavus fuit, postea Sesac rex Ægypti ascendit Jerusalem, et abstulit omnes thesauros regios, necnon domus Domini, quos reliquerat Salomon, scuta quoque aurea; pro quibus Roboam fecit deinde ærea scutariis suis, II. Reg. XIV. præ egestate scilicet: (sic aurum mutavit in cuprum) quia hosti adventanti sine pugna mox se dedit, ut docet Salianus. Quare ejus pater id quasi prævidens ait in Ecclesiaste, c. II. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub celo studiosissime laboravi, habiturus post me hæredem quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.* Quin et ipsi Salomon ingentes opes a patre sibi relictas, in plurimas vanitates prodegit, sicque in eis animam suam gravissime vulneravit; tametsi aliter longe a parentibus institutus fuisset, ut videlicet sapientiam sibi compararet: *Posside sapientiam posside prudentiam,* dicebant ei, ut fatetur ipse Prov. IV. Atque hæc est optima possessio et hæreditas, si ad sapientiam instituantur filii: sine hac evertent opes, quæ et ipsis plus oneris afferent, quam honoris aut commoditatis. Memphidi compertus est aurifex, qui aurea catenula pulicem alligavit, teste Leonio, de rebus Africae, nec defuere nostro sæculo hujusmodi artifices. Sed quam hic stultus labor! Ad quid enim pulci aurea catenula? Nonne magis impedimento est, quam commodo? Nihil ab hoc diversum agunt parentes, quando insipientes filios onerant divitiis, quæ plus eis, nocent quam proderunt, eruntque quasi gladius in manu furiosi, vel spinæ in manibus stulti: sicut fuerunt Salomoni, ita ut plus potuerint ad eum evertendum, quam parentum monita ad ser-

vandum. Ad quid filio comparas equos generosos si non doceas eum artem equitandi? Cur naves, si non doceas nauticam? Cur bibliothecam, si non litteras? Desiderant parentes a filiis in senio foveri et benigne haberi. Hoc ut obtineant, non onerent eos opibus, sed ad sapientiam informant: sic enim filii erunt memores quarti præcepti: uti apparuit in Tobia juniore, qui senium parentum dives factus, sublevavit, quia ad pietatem ab eis instructus fuit. Desiderant parentes habere filios sibi similes: sed dum eis magnas conquirunt opes, faciunt eos sibi in moribus dissimilimos; utpote ignavos et vitiosos. Hinc Phocion Atheniensis oblata sibi ab Alexandro Macedone munera contempsit, et cum moneretur ut ea vel pro filiis suis reciperet, respondit: « Si mihi similes habebam filios, ager hic parvus, qui me ad hanc dignitatem evexit, illis erit; quod si mihi similes non habebam, absit ut meis sumptibus lascivias et vitia illorum sustentare velim. » Responso sane christiano homine, non e'nico, digna.

II. Reperiuntur parentes, qui putant se bene consulere filiis, si eos delicate educant, splendide vestiant, nobilitari curent, aulicis moribus informant, equitare, saltare, digladiari ut coram mundo eos exalitent, doceant, si divites præbendas eis acquirant. Sed et ista, quid nisi vitrum sunt? Venit quidam impostor ad conjugem imperatoris Gallieni junioris, vendiditque ei vitreas gemmas pro veris. Patefacta fraude, quæta est apud maritum: et impostorem reum capitis deposcit. Imperator ridens ait, se illum leoni obiecturum: sed en dum miser exspectat leonem, prosilit caper. Risu orto, ait imperator: *Imposturam fecit, imposturam passus est,* apud Trebell. Pollion. Quid illa, quæ diximus, inania liberorum ornamenta, nisi gemmæ vitreæ? Non vitreæ, sed veræ gemmæ, vera virtutum ornamenta illis comparanda sunt. Decipientur enim alias parentes in filiis, sicut imperatrix, necnon uti impostor ille; dum enim sperant reducem ex Gallia, v. g. filium proditurum aliquando velut leonem et reipublicæ ornatum, prosiliet quidam caper, in altis crepidis et cornuto pileo, fœtidus amator, aleator, luctator aut saltator. Porro vana sunt illa ornamenta, quia corporis tantum, et brevis possessionis; certe in altero sæculo vitro viliora erunt. Solæ virtutes amitti nequeunt, solæ ad sepulcrum et alteram vitam filios comitantur, ubi et maximi fiunt. Aliter longe Tobias instruxit filium suum: ad solamen enim virtutem stimulavit, in toto libro suo pietatem ei inculcans. Mater filiorum Zebedæi hoc unum petiit filiis suis, ut possent Christo ad latus semper adhærere; et tamen quia ad terrenum Christi regnum respexit, ut in eo fierent

magni et prænobiles, a Christo in filiis reprehensa est. Quid dixisset Christus, si eis mundi vanitates, favorem principum, beneficia pingua petiisset?

III. Reperiuntur qui filiis tenellis, vinum pro libitu, permittunt. Quid hoc nisi vitrum? Sic enim Prov. XXIII. dicitur: *Ne intuearis vinum, cum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Non ait: Ne exhaurias, sed: *Ne intuearis*, siquidem color æque ac sapor vini allicit ad bibendum. Hujusmodi venenum instillavit duobus filiis suis Henricus comes Goritiæ, qui media nocte eos sæpe vocabat, et anstirent rogabat, cumque illi dormirent nec responderent, vinum eis infundebat; illisque respuentibus ac vinum revomentibus, ait uxori: *Ex alio concepisti meretricem; neque enim filii mei sunt, qui noctem integram nihil sitiennes, dormiunt.* Refert Æn. Sylvius, in comment. in Panorm. l. I. Quid hic dicemus? Nonne ex vitris mactare volebat filios? Quid enim aliud egit, quam quod Ægyptius ille, qui aspidem demi suæ una cum liberis suis aluit, cujus tandem catulus unus filium hospitii occidit? Refert Phylarchus, apud Plin. Sic nimirum vinum blande in liberos ingreditur, sed in fine mordebit ut coluber, et sicut regulus, etc. Et nonne magnum dedecus, quod hæc talia de tanto viro in libris scribantur, in mensis narrentur, in cathedris explodantur et rideantur? Hoc ergo consequuntur tales parentes ut passim sum ignominia traducantur una cum suis liberis, et demum ab ipsis maledicantur, sive in hac vita, sive in gehenna.

IV. Reperiuntur etiam, qui liberis suis offendicula ponunt, dum varias peccandi illecebras, ut choreas et similia eorum oculis proponunt. Quid hæc nisi vitra? Augustus imperator cum, apud Vedium Pollionem cœnans, vidisset servum ab eo, ob contractum vitrum, ad murænas condemnatum, ad se confugisse, bacillo omnia ejus vitra comminuit, ne deinceps occasionem haberet tam grave tamque stultum aliquid statuendi, Suet. et Dio. in Aug. Similiter Cotys rex Thracum, cum sciret se pronum ad iram erga servos, sibi que oblata essent ab hospite pretiosa vitra, munera dedit, sed vitra mox confregit, ne ansam iracundiæ præberent, Plut. in reg. apopht. Vitra igitur offendicula sunt filiorum, quæ confringi et auferri eis debent, non proponi. Sane Balac rex Moabitum non difficile pellexit Hebræos primo, ad stuprum; dein, ad idololatram, quando eis proposuit ex consilio Balaami puellas speciosas, quæ ante eorum castra obambulant, cibos idolis prius immolatos offerrent; postea, ad stuprum,

et denique, ad idola illorum colenda eos provocarent; uti Num. XXV. habetur, et fuse Josephus l. III. antiq. c. VI. refert. Itaque sufficit juvenibus proponere tales imagines; jam enim quasi capti sunt. Queritur Deus apud Jeremiam, c. VII. de talibus parentibus: *Filii colligunt, ligna, inquit, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, (h. e. lunæ) et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent.* Faciunt hoc parentes, quando ignem pravæ concupiscentiæ excitant in liberis suis, proponendo eis scandala, incitando consilio ut adrent luam, stultum et inconstantem mundum, luna mutabiliorem. Neque dicant parentes non esse in tali conversatione periculum, eo quod sint statu valde dispari, juvenes prohi, vel etiam clericici. Quis enim credidisset quod Hebræi, tot præsidiiis divinis vallati, tam bene in Dei cognitione instructi, tam facile ad tantum scelus impelli possent a puellis gentilibus? Quæ res inter se magis distant, quam cælum et terra? E celo tamen, si pluvia decidat et jungatur terræ, fit lutum et cloaca: *Pluvia bona est, et terra bona, ex utraque tamen juncta fit lutum.* Pari modo boni etiam, imo et religiosi cum altero sexu cohabitantes tandem in lutum vertuntur, ut dicebat B. Jordani generalis ord. Prædic. ut in ejus vita, 13. Febr. apud Surium.

Rogo igitur parentes omnes, ut vel ipsum nomen et vocabulum Nicolai bene expendant, atque inde discant nihil perniciosum quærere suis filiis, nihil fragile, nihil inutile. « Quid æstuas, pietas paterna, inquit Salvianus, Massil. l. I. ad Eccl. ad conquirenda terrena et peritura? Nihil majus filiis tuis præstare possis, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non ergo necesse est ut filio tuo terrenos thesauros abscondas: nulla re eum facies ditiozem, quam si filium tuum thesaurum Dei feceris. » Sic ille. Sunt fere jam parentes quales describit suo tempore S. Augustinus, l. de disciplina christ. c. XI. « Parentes nostri, inquit, quando nos in scholam mittebant, non hoc nobis dicebant: Discite litteras, ut sitis utiles Ecclesiæ, utiles republicæ; nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt. Sed quid dicunt? Discite litteras, mi fili, ut sis homo (hoc est) eminens inter homines, illustris et conspicuus, unde et illud proverbium: Quantum habebis, tantum eris. » Hæc Aug. Prava hæc est doctrina: terram quærunt filii, cælum vero negligunt. Non ergo sic doceant filios parentes, nec dicant: *Vide ut sis homo*, sed ut Dei servus et amicus, hæres cæli et angelorum civis.

CONCIO II.

NICOLAUS QUOMODO VICTOR POPULI FUERIT.

1. Variæ virtutes S. Nicolai. — I. Infaus coluit jejunium. — II. Adolescens fugit mundi illecebras. — III. Vir templum frequentabat. — IV. Factus episcopus abstinentiæ miraculum fuit. — V. Operibus misericordiæ mire addictus. — VI. Judices iniquos arguit intrepidus.

THEMA.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Matth. XXV.

Ita fere nos Germani comparati sumus, ut res exterarum pluris faciamus, quam patrias. Equos Turcicos, Neapolitanos, Frisianos longe nostris præferimus: fructus Italicos, telas Belgicas et pannos Britannicos, corium Prutenicum, vina extera præ nostris æstimamus. Meministis me ante annum vobis imposuisse Germanicum Nicolaum, quem Germani appellamus *non vitrum*: hoc igitur anno peregrinum alium quæram, et quidem Græcum, *Nicolaum*. Est enim hoc nomen Græcum, significans victorem vel victoriam plebis. Fuit enim revera S. Nicolaus juxta nomen suum, victor plebis, quia popularem vivendi et agendi morem multis parasangis superavit. Peregrinus itaque sanctus est, magnopere admirandus; quem si imitari non poterimus, ejus saltem ex aspectu nostram parvitatem et humilitatem metiemur.

I. Nicolaus vix natus infans coluit jejunium. Quarta enim et sexta feria, cum aliis diebus crebrius lac nutricis sugeret, non nisi semel, et quidem sero sub vesperum, sugebat, nec ullis lenociniis adduci poterat, ut hanc consuetudinem mutaret. Magna certe est hæc populi victoria. Ubi enim terrarum similes huic infantes? Sed non est cur adstringamus ad jejunium infantes. Illud saltem a Nicolao discere adolescentuli deberent, ut a pueritia assuefaciant se paulatim ad jejunium ecclesiasticum, vel saltem ad abstinentiam a carnibus, ut cum annos requisitos habuerint, sine difficultate præceptum jejunii implere possint. De Mose adhuc infante scribit Josephus, l. I. c. V. quod lac Ægyptiarum mulierum aversatus fuerit, Hebrææ nutricis vero libenter admisit. Decet etiam parvulos ab ineunte ætate repudiare carnem in jejunii diebus, adversari luxum hæreticorum, et catholico ritu vesci. Scimus Davidem, pastoritium puerum, æneo Saulis thorace indutum incedere non potuisse, nedum in eo pugnare, quia non usum habebat, h. e. non tantum non assuetus fuit, sed contra ad vestitum levem et rusticorum assuefactus, l. Reg. XVII. Pari ratione quomodo jejunabunt adolescentes ab anno

vigesimo et primo, si prius non tantum non jejunarunt, sed contra potius ingurgitare se, et quibus promiscue adeoque carnes devorare didicerunt? Meminit Alexander ab Alexandro, l. I. cap. XXV. Hibernas olim mulieres, infantibus suis, primos cibos gladio admovisse; quo nimirum, a teneris discerent arma non timere, sed intrepide tractare. Doceant etiam matres nostræ liberos suos cibum ex præcepto Ecclesiæ sumere, adeoque carnibus abstinere jejunii et abstinentiæ diebus, quo jejunare discant. Viderint vero illi, qui pro cibo gladium eis porrigunt, et pro abstinentia luxum et ebrietatem instillant.

II. Adolescens jam factus, malorum consortio, ludos, convivia, choreas, mulierum præsertim consuetudinem velut pestem fugiebat, carnem præterea jejuniis et vigiliis domabat; sicque magnam perfectionem consecutus est. Altera est hæc nec parva plebis victoria, eaque rara, ut patet exemplo S. Tobie senioris, de quo adhuc juvene dicitur: *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel,* Tob. I. unde ad magnam sanctitatem pervenit. E contra adolescentes si malis se associant, brevi omnem virtutem perdent; non secus ac equi, si in vestigiis lupi ambulent, illico torpescent, sudant, et timidi redduntur, teste Plinio, l. XXVIII. c. X. Si equi in vestigiis lupi torpent, non torpebunt juvenes in semitis reproborum? Ludi non absimiles sunt canibus pastoritiis, interim tamen rapti et raptores, non custodes gregum sunt: ita seductores simulant se amicos, interim tamen semper sævi sunt et noxii, ut lupi. Quare bene monet adolescentes Sapiens, Prov. I. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum, (Hebr. a vestigiis eorum) pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Tres illi pueri Hebræorum in Babylone non curarunt, quod omnes alii prociderent et adorarent statuam auream Nabuchodonosoris, sed dixerunt regi: *Statuam tuam non adoramus,* Dan. III. Invitabat quidem eos lupus ille Nabuchodonosor cum symphonia et variis instrumentis musicis ad profanam adorationem: *Nunc ergo quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, etc. posternite vos, et adorate statuam: sed surdis caneat: Notum sit tibi rex, aiebant, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* Horum exemplo, o juvenes, spernite mundi et sociorum illecebras, fides, choros, ludos licet alii sectentur.

III. Vir, sed nondum episcopus factus, summo

mane ad templum itare consuevit. Hinc enim cui-dam episcopo provinciali revelatum, illum eligendum Myriæ episcopum, qui primus omnium summo mane templum oraturus intraret. Quo signo edito, deprehensus est Nicolaus. Quis non videt hic novam plebis victoriam? Qui enim, et ubi illi, qui etiam sacerdotes mane præveniant in templo? Fuit quidem olim commune Christianis etiam ad nocturnas horas, vel saltem summo mane, ecclesiam intrare; sed jam tales, albo corvo et rariores sunt. Fecit hoc David, qui Ps. V. ait: *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi et videbo*, quasi diceret: Quia video, quod eos potissimum audias, qui impigre te orant, et mane te præveniunt, ideo mane astabo ad tuum conclave, audientiam petiturus. Atqui Christiani Judæos vincere sua justitia debent. Illis in deserto summo mane exeundum erat ad colligendum manna, alioquin sole superveniente liquefiebat, et hoc: *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem Dei acquirendam*, ut dicitur Sap. XVI. Quare voluit Deus præveniri solem in collectione mannae, nisi quia voluit, ut præveniremus ipsum precibus, et ne indulgeremus carni ac voluptati aut diutino somno? Vespere liquescit manna, perit devotio ad res spirituales: Deus ergo noluit dare manna ignavis, qui lecto adherent ad multam usque lucem. Ubi vero manna nostrum colligimus nisi in templo, sive id sit sacramentum eucharistiæ, sive Dei verbum? Ad hæc igitur Christiani, si nolint esse primi, saltem non sint ultimi, ut alios perturbent. Quantum enim Deus hortatur, ut benedictionem ejus præveniamus, tantum vicissim laborat dæmon, ut eam negligamus, vel tardius quæramus. Fassung enim jam olim est S. Dominico, in chorum inductus, se ibi maxime tentare fratres, ut tardius veniant et citius exeant; uti refert S. Antoninus, IV. p. hist. tit. XXIII. c. IV. § VI. Utrum ergo potius sequendum censebitis, Deum Israel, an Baal et dæmonem?

IV. Factus episcopus, unica per diem refectione, eaque vespertina, contentus, consuetudinem hanc constanter tenuit, totum reliquum diem publicis negotiis impendens. Hoccine vulgare est? Utinam saltem in jejunii diebus, prout Ecclesia præscribit, una refectione contenti essent omnes Christiani! Quod certe adhuc tempore S. Bernardi ante annos 500. observarunt, ipso teste, sermon. III. de quadrag. scribente: *Hactenus usque ad novam jejuravimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, reges et principes, populus et clerus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper*. Miror quod Christiani nostri non possint vel raro, quod olim gentiles po-

tuerunt semper. Nam in usu non fuisse apud gentiles aliquos prandia, testatur S. Isidorus, l. XX. etymol. cap. II. Similiter Cassiodorus, in Psal. XIV. scribit antiquis morem fuisse, semel tantum in die comedere. Platoni nullo modo placuit bis die saturum fieri, in ep. ad Dionis propinquos. Quid istis respondebunt Christiani nostri sæculi? Quamquam videntur et nunc tales reperiri: sed quales? Qui ab initio prandii epulantur usque ad tempus cœnæ, et ita una sessione prandent simul et cœnant. Sed quid aliud agent Epicurei? Nonne hoc e diametro pugnat cum S. Nicolao, qui totum diem negotiis salutaribus impendit, vespere primum refectionem admisit: cum illi totum fere diem comedant et bibant et vix ante prandium aliquid expediant? Malum certe signum, saginari nimirum tales ad macellum.

V. Operibus misericordiæ supra communem hominum consuetudinem magnopere addictus fuit. Primo enim, calamitosis mox in puncto opem tulit. Tribus nubilibus sororibus, cum a patre pauperculo jam prostituendæ forent, in tempore adfuit ut honesto matrimonio locarentur. Bis tribus innocentibus jamjam supplicio afflictiendis vitam servavit. Nautis periclitantibus invocatus mox succurrit: navim pene jam demersam erexit, ac gubernaculum tenens, rexit. Rarum hoc etiam est; differuntur plerumque auxilia postulata, et fere extorqueri importunitate debent, contra id Proverbiorum III. *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi cum statim possis dare*, quia crastinum incertum. Secundo, dedit liberaliter non unum vel alterum nummum, ut sit communiter, sed dedit tribus vicibus, quantum sufficeret dotandæ honestæ et nobili puellæ; unde aurei globi tres ei appinguntur. Nostro tempore homines fere dant elemosynam, sicut olim Sinitæ; qui quisquillas hostiarum, puta, porcini capitis imas auriculas, reliquiarum altitium ungues, vini guttas aliquas in ara simulacris deorum suorum apposuerunt, cæteras ipsi dapes cum magna et effusa lætitia devorabant, Maffeo teste in historia Indica, libr. VI. Vilissima enim quæque, ac fere jam corrupta cibaria, attrita vestimenta vel oboli solum dantur pauperibus, quibus nihil aut parum juvantur; quæ satius esset emere, quam precibus exorare. Tertio, dedit occulte, et noctu clam injecit pauperi pecuniam in ædes, et mox fugit. Quod certe non faciebant Pharisei, qui tuba ante se caneant, cum elemosynam dabant; multi etiam nunc negligunt, dum nomina ac titulos suos affigunt suis muneribus, ædificiis, etc. contra in Eccl. XXIX. *Conclude elemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exo-*

rabat. Conclude, hoc est absconde, ut legit Optatus Milevit. sicut absconditur semen jactum in agro, per occasionem, ne ab avibus devoretur. Insidiantur piis operibus aves diabolicæ ut per inanem gloriam ea extinguant.

VI. Judices iniquos arguit et corripuit. In primis Eustachium urbis Andriacæ præfectum, qui calumniatorum quorundam auro victus, tres viros innocentissimos ad supplicium trahi jussit. Mox enim ad supplicii locum cum tribus legatis Constantini imp. contendit, et tres illos viros, jam ad necem excipiendam paratos, graviter increpato carnifice, extortaque manu ejus securi: præfecto vero severissime objurgato, ita ut cum lachrymis veniam peteret, liberavit. Nec multo post tres antedictos Constantini legatos calumniis circumventos et jam ad mortem damnatos eripuit, dum in somnis imperatori apparuit terribilis, monens, ut tres illos innocentes viros absolveret, et pristinae dignitati restitueret; quod et fecit statim imperator, atque insuper Nicolao dona misit. Rari admodum sunt tales nunc æmulatores justitiæ, qui potentia, opibus, ac dignitate præditos, a justitia et virtutibus aliis deflectentes, audeant corrigere. Quemadmodum enim nihil magis necessarium, quam teclum domus resarcire, interim nil magis periculosum: ita nil magis necessarium, quam potentum errores arguere, nil tamen interim periculosius: ideo nemo fere hoc munus vult obire. Audistis, ni fallor, aliquando fabulam de muribus, qui videntes se domestico cato passim capi et devorari, consilium inierunt, quomodo cati insidias declinarent, ne sensim ab eo omnes devorarentur. Incidit eis consilium, ut nolam cato appenderent, ex cuius tintu, adventantem tacito gressu, deprehenderent, sicque fuga sibi tempestive consulerent. Laudarunt omnes consilium, veluti opportunissimum. Ingrediente cato, rem effectui datur iterum consultant, quis eorum appendere cato nolam deberet. At hoc qui facere vellet, nullus reperiebatur. Seniores aiunt juvenulis: Ite vos, appendite, quia celeres estis pedibus et facile vos subducere per minimum foramen potestis. Sed hi se excusant quod veluti rudes nesciant facere nodum, alligando scilicet funiculo. Juniores ad seniores: Ite vos, appendite, quia magis expertis estis quam nos. Sed hi se excusant, quod præ senio jam tardigradi, quodque corpulentiores, non tam facile per foramina effugere queant. Aiunt ergo ad mediæ ætatis mures: Vos ire debetis, quia fortiores. Sed hi excusant se ob conjuges et proles, quibus nutriendis vivere debeant, nec se periculo exponere possint. Sicque dum omnes se excusant, irruente in eos cato consilium omne dissipatur et

in nihilum abit. Simillima ratione agunt fere homines. Sunt aliqui prædivites et in officiis constituti, qui non confitentur toto anno, vivunt inter scorta, cum pellice vel adultera, quotidie se inebriant, injustitias committunt publicas. Veniunt querelæ et concluditur arguendos et puniendos esse. Sed quis illos arguet? Juniores dicunt se carere auctoritate, seniores, non diu se victuros, proinde parum hæc curare; alii dicunt: Magnum iste in aula amicum habet, quis vult eum corrigere? Alius timet uxori et liberis suis. Summa, nemo est, qui appendere cato nolam velit. Sed quid de his Scriptura? *Omnes bestie agri venite ad devorandum: universæ bestie saltus*, ait Isaias, c. LVI. sed ad quos tam dira? *Speculatores ejus cæci omnes, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia*. Contingit interdum canes dormientes in somnio parum mutire et caput attollere; sed mox iterum obdormiunt. Sic ignavi magistratus vanis timoribus absterrentur a vltiorum reprehensione. Videmus Nicolaum vere plebis victorem: videamus jam nos ipsos, an illum imitemur. Parvuli solent hodie inspicere et ostendere munuscula sua. Inspicite et vos vestra. Peregrina sunt et mira, pulchræ et magnæ victoriæ; pueri discant abstinere; juvenes mundi illecebras fugere; viri templum frequentare; senes misericordiæ operibus vocare; magistratus vitia corrigere. Sic eritis Nicolai, et aliquando ut victores triumphaturi cum victore Nicolao.

CONCIO III.

VIRGA TRIBULATIONIS, HONESTA, UTILIS, JUCUNDA.

Virga tribulationis præcedere debet beatitudinem. — I. Tribulatio honestatem habet. — II. Habet utilitatem. — III. Habet et jucunditatem.

THEMA.

Vocavit servos suos et tradidit illis bona sua. Matth. XXV.

Nostis, auditores, nocte hac imponi liberis a parentibus varia munuscula. Sed quid est, quod ea munuscula comitetur semper virga? Sive enim morigeri, sive immorigeri sint filii, semper in munusculis suis virgam reperiunt. Itane vero etiam virga munus quoddam est? Et sane, auditores, et ita quidem necessarium omnibus non solum filiis, sed etiam quibuscumque hominibus, ut plane velut munus Dei pretiosum, et insigne quoddam talentum acceptari debeat. Bonus certe Deoque morigerus fuit David, et tamen ille suam virgam et quidem multiplicem accepit; unde dixit Psal. XXII. *Virga tua et baculus tuus ipsa me*

consolata sunt. Virga hæc tribulatio est, omnibus necessaria: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, aiunt Paulus et Barnabas, Act. XIV. *Non est in loco nostro*, ait Laban, Genes. XXIX. *consuetudinis, ut minores (filias) ante tradamus ad nuptias*, scilicet pulchram Rachel, ante deformem Liam. Sic etiam in hoc mundo non consuevit Deus dare suum regnum ante tribulationem, mercedem ante laborem, dulce ante amarum. Lia prius ducenda est, et tribulationis virga exosculanda, quam tradatur Rachel, gloria cœlestis. Sed amara est herba ista, dices. Quidni? Etiam amaræ sunt potiones medicæ, et tamen salutare. Quid si igitur tribulatio non solum utilis, sed et honesta et iucunda sit, num bona esse negabimus, quæ omnem boni rationem habet? Id vero nunc ostendamus.

I. Honestatem et decorem habet, quod ex Zacharia, c. XI. probari potest, ubi Deus unam virgarum, quas assumpsit, appellat *decorem*. Sed qua ratione? Quia tribulatio ostendit hominem esse Deo charum et modo aliquo similem, adeoque ejus filium genuinum, et non spurium. Ita enim apostolus ad Hebr. XII. ait: *Quem diligit Deus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Quod desumpsit ex Prov. c. III. secutus septuaginta interpretes, ubi noster legit: *Quem diligit Dominus, corripit, et quasi pater complacet sibi in filio*. Quem scilicet unice diligit, velut similem sibi ac legitimum filium. Castigat autem autem tribus de causis potissimum. Primo, ut puerilem levitatem et vitia ab eo reseret, ac virtutibus exornet, quo is verus ejus filius, nullare deformis, sed integer ex omni parte evadat. Unde subdit apostolus: *Quod si extra disciplinam estis, ergo adulterini (Græce spurii et adulterini) et non filii*. Pater enim spurios, velut modo aliquo alienos, negligit nec tanta cura educat, sed aliis relinquit. Jam ergo sicut ignominia est esse spurium, ita et contra decus est esse genuinum et legitimum regis filium. Tribulatio et paterna castigatio talem ostendit. Unde S. Greg. Naz. orat. in plagam grandinis, habita ad populum Arianzi, grandinis plaga percussus, inter alia: *Recepisti monile ingenuorum, ac proinde dilectorum filiorum*. Jonathas indicaturus Davidi, an ipse in patris (Saulis) gratia esset, necne, tale signum dedit: *Tres sagittas mittam juxta lapidem, et faciam quasi exercens me ad signum: mittam quoque et puerum dicens ei: Vade et affer mihi sagittas; si dicero: Sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem ita locutus fuero: Ecce sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus*, I. Reg. XX. Sagittæ intra te sunt

quando Dominus castigat te, et tunc signum est te diligi a Deo et castigari ad correctionem ex amore. Si autem *ultra te* sint, et te peccantem minime feriant, signum profecto malum est, te nimirum deseri velut adulterinum.

Secundo, ut evadat durus et robustus tam corpore, quam animo, quasi athleta ad ferendos labores et parandas victorias. Neque vero exercet tali modo eos, qui ignavi et molles sunt, sed qui masculos habent animos, a quibus magna sperari possunt. Hoc vero nonne decorum et honorificum esse dicemus? Intellexit hoc etiam Seneca, qui lib. de providentia, cap. IV. quærit: *Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine aut aliis incommodis afficit?* Et respondens: *Quare, ait, in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me imperator meruit, sed bene judicavit. Idem dicant quicumque jubentur pati timidus ignavisque flebilis: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura possit pati.* Sic ille. Consonat ei, quod Paulus, II. Tim. II. scribit suo discipulo: *Laborem (Græce afflictiones et mala perfer) ut bonus miles Christi Jesu: et quod Cant. VIII. dicitur de sponsa: Soror nostra parva, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? (desponsalibus utique Christo contrahendis). Si murus est, inquit, ædificemus super eum propugnacula argentea. Propugnacula non struuntur nisi super murum solidum, qui possit sustinere hostium impetum et jacula. Quando ergo Deus struit super aliquem hujusmodi propugnaculum, quando onerat eum tormentis et plagis, signum est, quod eum velut strenuum et inexpugnabilem athletam velit demonstrare, qui nullis concutitur ictibus. Argentea sunt hæc propugnacula et onera, quibus premuntur hi athletæ, adeoque maximum illorum ornamentum. Intellexit sane hoc secunda virgo et martyr, quæ cum Ruffinam sororem jussu judicis videret flagellis cædi, sacra indignatione commota: *Quid est, inquit, quos sororem meam honore, me autem afficis ignominia? Jube ambas simul cædi, quæ simul Christum confitemur*, ut in breviario, q. d. itane soror mea murus erit propugnaculo dignus, et ego non ero? Itane illa fortis et magna, ego infirma et parvula? Gratuletur ergo sibi, qui se premi calamitatibus videt: vult enim Deus super ipsum, velut supra murum fortem, struere propugnaculum patientiæ, et inde excutere omnia inimici tela, adeoque eum victoriosum reddere.*

Tertio, ut dignus fiat magna in cœlo gloria, ad

quam ipsum destinavit. Ita S. August. in Psal. XCIII. «*Duos filios, (inquit) habet homo; alterum castigat, alterum dimittit; facit unus male et non corripitur a patre; alter mox ut se moverit, flagellatur. Unde ille dimittitur, et ille cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas servatur: ille autem dimissus exhæredatus est? Videt eum non habere spem, et dimittit eum, ut faciat quod vult?*» Annulus, quo desponsatur sponsa viro magnifico, v. g. principi aut comiti, non sane ei probum, sed honorem affert. Hujusmodi est tribulatio, quæ despondet hominem Christo et arrham hæreditatis ejus præbet. Hoc annulo tangens Christus oculum S. Gertrudis, perpetuum ei dolorem infixit: unde illa didicit, quod sicut annulus signum est desponsationis, sic adversitas signum est et arrha divinæ electionis. Idem sensit S. Agnes quæ dicebat: *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus, et tanquam sponsam decoravit me corona*; corona primo martyrii; postea, gloriæ. Quis neget vulnera Christi S. Francisco impressa summum illi honorem attulisse? At illa tamen eum continuo cruciabant et sanguinem stillabant. Decorem igitur et honestatem plurimam affert homini tribulatio.

II. Habet utilitatem, et quidem multiplicem. Primo enim, (ut pauca dicamus) aperit homini oculos, quos peccatum ei clausit. Scimus oculos Tobie cæcos, felle curatos esse; ita enim docuerat Raphael Tobiam juniorem: *Fel vult ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur*, Tob. VI. Albugo, quæ colore albumen ovi refert, oculum cæcat, et peccatum notat, mentis oculos claudens et a Deo avertens; fel amarum quid nisi tribulationem significat? Hæc ergo reddit visum homini, ut peccata sua agnoscat, velut causam tribulationis sibi immisæ, quia: *Vexatio dabit intellectum auditui*, ait Isaias. c. XXVIII, et Jer. c. XXXI. *Castigasti me Domine et eruditus sum quasi juvenculus indomitus*. Illuminavit plane fratres Josephi, et peccatum eorum in memoriam ejus reduxit. Quando a Josepho conjecti sunt in carcerem, dicunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum minimum, etc. idcirco venit super nos ista tribulatio*, Gen. XLII. Vere enim S. Gregorius ait; *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit*. Illuminavit et edomuit Manassen, prophetarum contemptorem, imo et interfectorem crudelissimum, postquam vinctum adduxit in Babylonem et multo ferro gravavit. *Tunc enim cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus*, II. Pars. XXXIII. Taceo Nabuchodonosorem Dan. IV. §. XXXIV. Antiochum, I. Macch. VI. vers. XII. filium prodigum, Luc. XV. §. XVII.

Secundo, convertit hominem et reducit ad Deum

per pœnitentiam. Leo non nisi igne et facibus compellitur in retia et caveam a qua fugit, uti scribit Plin. I. VIII. c. XVI. et vidimus alibi ex historia Ludovici Landgravii, in vita S. Elisabethæ. Efferratum etiam peccatorem non nisi ignis tribulationis reducit ad Deum et legem divinam. Ita enim Thr. I. dicitur: *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudit me, expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum*, quando scilicet abduxit me in captivitatem Babyl., unde sequitur: *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam*. Sic ad Deum se convertit Andronicus imp. Græcorum, cum a nepote imperio dejectus et detonsus atque in monasterium detrusus, præ mœrore viso amisso, intrans monasterium dixit: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, Gregorius, I. IX. Nimirum sicut pia mater videns filium oberrare in alienis domibus, ludere et potitare, rogat eos, ad quos divertit filius, ut eum expellant, nihilque ipsi ad ludendum aut potandum porrigant: ita Deus videns peccatores oberrare et amorem suum convertere ad creaturas, mandat illis, ne ejus desideriis serviant, sed potius affligant eum, grandine, pruina, fame, morbis, peste, bello, ut ab eis repulsus revertatur ad Deum suum, juxta id Osee, II. *Septiam viam tuam spinis, etc. et sequetur amatores suos et non apprehendet eos, quæret eos et non inveniet, et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem*.

Tertio, docet et cogit hominem ferventer orare. In Troglodytis fons est, qui *solis fons* appellatur: is, fervente sole, circa meridiem maxime friget, in mediæ noctis rigore maxime fervet. Refert Pomp. Mela et Plinius, I. II. Nos huic fonti similes sumus: in meridiano colore, cum res prospere eunt, frigidi prorsus in oratione et ignavi ad orandum sumus, in nocte demum adversitatis incipimus fervere et magna contentione ad Deum clamare. Hinc Isaias, c. XXVI. dixit: *Anima mea desideravit te in nocte*, hoc est, in tribulatione, ut exponit ibi Sanchez. Patet in Hebraeis servitute Ægyptiaca pressis: tum enim: *Vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus*, Exod. II.

Quarto, delet pœnas, quas peccando contraximus. Ita enim docet Conc. Trid. sess. XIV. c. IX. non modo nos satisfacere pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis; sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis. Animæ nostræ, vestium instar, facile contrahunt sordes et pulverem pœnarum; quare uti pulvis e vestibibus virga excutitur, ita pœnæ nobis debite, plagis a Deo inflictis. Unde Petrus Blesensis, epist. XXXI. ait: *Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assiduata congestit*. Bene igitur ille, qui

gloriam filii. Ego peccator sum et servus inutilis, ut habet Ribadeneira, in ejus vita. Sed ex orbe novo exemplum audiamus. Ex provincia Goæ et missione Mogor scripsit P. Hieron. Majorica, anno 1620. fuisse ibi principem quemdam nomine Mirzam, qui, fame grassante, distribuit eleemosynas largas in pauperes per manus opulenti alicujus ethnici. Causam interpellatus dedit, quod in ea civitate Christiani omnes essent pauperes; quare mox palam fieret se auctorem eleemosynæ esse, si eam per illorum unum distribuere. At si per opulentum barbarum id fiat, adscripturum populum liberalitati barbari. Qualis et quam sancto adinventio! Exannuis Romæ impressis, anno 1627.

II. *Quis putas est fidelis servus?* Qui res domini sui, honorem et vitam fideliter custodit et servat; siquidem servus a servando dictus est, quod res domini servet, non secus ac canis herum ejusque domum. Unde Is. c. LVI. reprehendit Deus pastores Hebræorum, quod non latrarent in peccatores. *Canes muti*, inquit, *non valentes latrare*. Olim etiam miles qui non vigilasset, et servus qui non custodisset dominum suum, canem in humeris circumferre cogebatur, ut a canibus videlicet redargutus confunderetur, Maiol. tom. IV. Fidelis erat Abisai servus, seu miles Davidis, qui audiens impium Semei maledicentem Davidi, ferre id non valens: *Quare*, inquit, *maledicit hic canis mortuus domino meo regi? Vadam et amputabo caput ejus*. Quasi licentiam ad hoc a rege petens, II. Reg. XVI. Vicissim ipse David exprobravit Abneri principi militiæ Saulis, quod suum dominum non custodierit, cui ipse dormienti abstulisset scyphum et hastam: *Numquid non vir tu es? Et quis alius tui similis in Israel? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem, dominum tuum*, I. Reg. XXVI. quasi diceret: Mulierem te potius, quam virum præbuiisti, qui domini tui honorem et vitam non custodisti. Quid diceremus de servo, qui videns domum heri sui a malevolis inflammata ardere, incendium restinguere non curaret, aquam non afferret, opem vicinorum non imploraret? Quando Valens imp. Arianus catholicos vexare et ejicere, Arianos autem introducere, et promovere in Ecclesiam cepit, Aphraates monachus senex et incurvus, eo intellecto, exeremo egressus, Antiochiam ivit, ut huic malo occurreret. Visus a Valente et interrogatus, cur non intra cellam suam maneret, respondit: « Dic mihi quæso, imp. si filia alicujus essem, et sederem in conclavi abscondita, ut aedes patris curarem, atque adeo cernerem flammam in eas incidisse, aedesque pater-

nas jam conflagrare, quid me facere oporteat? Intus ne manere, et aedes incensas negligere? An relicto conclavi, sursum deorsumque cursitare, et aquam offerre, qua flammam extinguerem? Atque hoc ipsum nos agimus, imp. Etenim cum tu jam in patris nostri aedes flammam injeceris, nos circumcursumus, quo eam mature possimus extinguere. » Quæcum locutus esset Aphraates, imperator ei interminatus conticuit, Theodoret. lib. IV. cap. XXVI. Quoties videmus honorem Dei ejusque Ecclesiæ violari publicis peccatis, cogitemus flammam injici in domum patris et Domini nostri. Ergo si filii, si servi Dei sumus, conemur ignem extinguere, incendiarios repellere ac compescere. Non scimus sicut ignavi, qui domorum incendia stantes aspiciunt, eo quod illæ domus nihil ad se spectent, sed: *Prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere. Tamen si amicus est, admoveatur leniter; uxor est, severissime refrænatur; ancilla est, et verberibus compescatur*, inquit S. August. tra. X. in Joan. Arsit hoc zelo Sanctus Nicolaus, qui Licinio per decretum Myrensis christianis pietatem inhibente, omniaque tormenta minitante, et ecclesiæ ignem injiciente, nihilo secius ac prius res Christianorum defendere et Dei cultum libera voce prædicare perrexit; etiam postquam ea propter comprehensum et in carcerem missus fuit. Unde tamen non ita multo post, sublata per Constantinum M. Licinii victorem et imperii successorem, persecutione, restitutus est Myrensi-bus. Habuit etiam viros prudentes, qui de publicis peccatis populi sui eum admonerent, ut ea corrigere posset, Ribad. in ejus vita.

III. *Quis putas est fidelis servus?* Qui bona domini sui, quando et quibus debet, fideliter dispensat. Hoc enim ipse Dominus indicat, cum addit: *Quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram*, Matth. XXIV. subditque: *Si autem servus malus manducet et bibat cum ebriosis, etc. veniet dominus servi illius et dividet eum, etc.* Ubi indicat malum dispensatorem esse servum illum, qui in luxum et ebrietatem bona sua expendit; ut observat S. Chrysostomus, hom. XXXIV. ad pop. « Plura in impensas inutiles expendis, in convivia et ebrietatem et extremam prodigalitatem; nunc quidem vocans, nunc vero vocantem sequens; nunc quidem expendens, nunc autem alios cogens expendere, ut et duplex tibi fiat ultio ex his, quæ ipse facis, et ex his, ad quæ cæteros inducis. Et hoc enim servo vid. vitio datum. Ait enim: Comedit et bibit cum ebriis, etc. » Quid dicerent parentes, si filio in exteram regionem studiorum gratia misso, magnam pecuniarum summam mitterent,

ille vero eas expenderet in convivia, aleas, charitfolia, gladios, sclopetos, crepundia? Sed neque illi fideles dispensatores sunt, qui in divites sunt profusi, in egentes vero parci. Si enim Sigismundo imp. hoc vitio datum, multo magis id reprehendet in servis suis Deus. Ille iter faciens, torrentem equo trajiciebat. Equus consistens mergere cepit. Tum quidam aulicorum, Cæsaris equum naturam Cæsaris habere palam asseruit; causam rogatus; *Quoniam*, inquit, *equus aquam torrenti addit. Cæsar habentibus dat*, Carion. l. III. chron. Non ita S. Nicolaus, qui opes sibi a parentibus relictas distribuit in egentes solum, et quidem tales, quorum et animas et corpora servaret, uti patet in trium sororum dote; in se parcus, in pauperes profusus; ac quod mirum est, auctus dignitate episcopali, non auxit pompam sed minuit. Erat ei vestis vilior quam antea; semel in die, nullis tamen carnibus, vescebatur. Dicebat enim: *O Nicolae, dignitas hæc aliam vitam postulat: hucusque tibi vixisti, nunc aliis etiam vivendum est*, Ribad. in vita.

IV. *Quis putas est fidelis servus?* Qui herum suum non magis quam Deum timet, sed delinquentem vel errantem admonere et corrigere audeat. Ita respondit Fridericus III. imp. interrogatus, quos aulicos charissimos haberet? *Qui me non magis quam Deum timent*, inquit, Æn. Sylvius, l. IV. in Panorm. Alioquin enim nec Deum amant, nec herum. Quod si vitam et honorem heri sui servare servus tenetur, quantum in ipso est, utique tenetur etiam ab errore eum revocare. Certe si herus male tectus sederet in theatro in sui derisionem, nonne jure merito objurgaret servum velut infidelem, qui id videns, ipsum non moneat? Sedit aliquando in auctione Philippus Macedo rex, parum decore vestitus; vidit hoc unus e servis, qui vendebatur, et in aurem ei indicavit, dicens: *Dimitte chlamydem aliquantulum, nam ad istum modum indecenter sedes*. Tantum hoc Philippo placuit, ut servum non modo liberum esse voluerit, sed etiam pro vero amico habuerit, Plut. in apophat. Si indecoræ sessionis admonitio verum prodidit amicum, quidni correctio gravis-simorum errorum? Augustus Cæsar, cum aliquando jus diceret, adessetque Mæcenus, nobilis eques Romanus, Augusto charus, videns hic eum multos condemnaturum, cum præ multitudinem accedere nequaquam posset, ad eum scripsit in hæc verba: *Tandem surge, carnifex*. Quæ verba posteaquam Cæsar perlegit, a tanto amico admonitus, statim surrexit, Dion Cassius, in Augusto. Viderint hic officiales et consilarii principum, qui graves eorum errores corrigere non audent. Quod si gentiles isti displicent, videant Nicolaum,

qui primo, tres cives innocentes ad necem ductos advolans eripuit, carnifici gladium extorquendo, judicem acerrime increpando: deinde, Constantinum M. tres tribunos morte, contrafas et æquum per errorem condemnantem, noctu ei æque ac Ablavio præfecto, cujus consilio seductus imperator eos damnaverat, apparens, magna libertate corripuit, et a sententia deterruit, minas ei belli intentans atque interitum. Nec solum paruit imperator, sed etiam munera per eos templo Myrensi ad Nicolaum misit, ut in ejus vita. Non dico tam audacter corrigendos a subditis principes, sicut Mæcenus fecit, sed modeste, quomodo servi Naaman principis illius, IV. Reg. V. monuerunt dominum suum, ut ne sperneret consilium Elisæi: *Pater*, inquit, *etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras*. Quo fidelissimo monito, hero certe auctores fuerunt, ut a lepra sanaretur. Nos igitur qui servi Dei sumus, et esse volumus, demus operam, ut fideles servi simus. Non deseramus Dominum nostrum, sed affligamus potius nos ad ostium domus ejus, et dicamus: *In umbra tua vivemus*, Thr. IV. quia meliorem dominum reperire nusquam possumus. Audiamus promissam nobis mercedem: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vite*.

CONCIO V.

QUID NON IMPONERE DEBEANT LIBERIS PARENTES.

Parentes sæpe terrena, non cœlestia provident filiis, et quæ præbere non debeant. — I. Non prava exempla. — II. Non blandimenta noxia. — III. Non vinolentiam. — IV. Non saltus et choreas. — V. Non austeritatem nimiam.

THEMA.

Vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Matth. XXV.

Moris est ut parentes hoc die comparent liberis suis varia munuscula, et de nocte imponant sub titulo S. Nicolai. Bene est, si bona non mala eis comparent. Si enim Dominus in hodierno evangelio servis suis tradidit bona sua, quanto magis pater debet bona et non mala dare filiis suis? Sic etiam Dominus, Luc. XI. *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Id quod tamen sæpe faciunt parentes; de quo S. Chrysost. hom. XX. op. imperf. queritur dicens: « Desiderant illos (parentes, filios) valere in se-

culo isto, et non curant, quia passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident, alii honores, et nemo filiis suis providet Deum; perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur et suspirant: si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur; ut ostendant quia corporis sunt parentes et non animarum. Ita Chrysost. At vero nonne indignum et gravi supplicio dignum est, si parentes, et quidem Christiani, salutem liberorum negligant, et insuper perniciem eis struant, faciantque, ut ait Dominus Matth. XXIII. *filios gehennæ*? Nonne una se cum ipsis præcipitant in gehennam? Quare operæ pretium est, videre saltem quid non dare liberis debeant, quid emere non debeant.

I. Non emant neque imponant eis turpes imagines, h. e. mala exempla, quibus pervertantur. Solent enim liberi observare mores parentum, idque rectum existimare ac pulchrum, quod vident a parentibus fieri, unde id imitantur. Exemplum ejus rei refert Ælianus, l. XIII. var. hist. c. II. de Macareo, sacrificulo gentili impiissimo, qui, ob depositam pecuniam, hominem in templo interfecit, et in loco depositi clam ibi sepelivit. Post, eo absente, duo ejus filii domi relictæ patris immolationem imitari conati sunt, accedentes ad aram paternam. Ardentibus adhuc sacris, junior collum præbebat, adultior vero, cum invenisset temere positum alicubi ensem, fratrem ceu victimam mactavit. Familia, conspecto facinore, vociferata est: mater audito clamore exsiliit, vidensque trucidatum filium alterum, alterum ensem recenti sanguine conspersum manu tenentem, arrepto ex altari torre, supersititem filium interfecit. Allatus est hujus rei nuntius ad Macareum, qui furibundus in ædes insiliit, et hasta seu thyrso, quem tenebat, uxorem interemit. Ipse demum evulgato scelere, tormentis subjectus, confessus est quæ in templo quondam perpetrarat; in ipsis vero quæstionibus vitam amisit. En quanta mala ex malo parentis exemplo! Qui pecuniam adulterat imprimendo cupræ, v. g. monetæ effigiem imperatoris aut alterius principis, capitali pœnæ subjicitur. At hoc faciunt parentes, dum peccatis suis speciem honestatis imprimunt, ut ea imitentur filii. Qui idolum in altare ponit, ab aliis adorandum, quid non merebitur? (uti Jeroboam, cum in scandalum Hebræorum proposuit vitulos aureos, ipsis adorandos.) Parentes istud faciunt, liberis suis prava dant exempla, cum blasphemant, inebriantur, lasciviunt. Imitentur saltem avem illam, quam veteres *justam* nuncuparunt, ea forte de causa, quod sua abscondat excrementa; ne iis,

quia novit perniciosa, quisquam inficiatur, apud Photium in biblio. Cautè saltem vivant, si caste non volunt, memores ejus, quam Christus protulit, terribilis sententiæ: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

II. Non glycyrrhizam, hoc est, blandimenta noxia. Ita monet Eccle. c. XXX. *Lacta filium et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui.* Glycyrrhiza juxta novellas oleas sata, obest illis. At filii, Ps. CXXVII. comparantur novellis oleis: *Filii tui, sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Ratio, quia sicut olivæ, ut oleum dent, immaturæ decerpi et premi debent, teste Plinio, l. XV. cap. III. ubi maturuerint, non dant amplius oleum; ita liberi a tenera ætate premendi et curvandi sunt, ut oleum disciplinæ ab illis exprimatur: frustra est, cum jam adoleverint. Ergo juxta has olivas glycyrrhiza non serenda nimis indulgentiæ: virga moderata salubrior ipsis est. Expertus est Heli, qui graviter delinquentes filios, nimis leniter reprehendit: *Nolite filii mei, non est bona fama, quam audio.* I. Reg. II. *Oportebat eos post primam et secundam admonitionem, si perseverassent in nequitia, a templi ambitu expellere,* inquit Theodoretus, q. X. in eum locum. Propterea uterque filius eodem die in prælio est occisus, et pater accepto nuntio consternatus, cecidit e sella retrorsum, et cervicem fregit, I. Reg. IV. David etiam, quia non corripuit filios Amnon et Absalon, multa ab eis passus est, et ambo misere perierunt. Amnonem ob incestum, quia contristare noluit, impexit in gladium Absalonis; Absalonem in lanceas Joabi; Adoniam, quia *non corripuit aliquando*, in gladium Salomonis, III. Reg. I. in lectulo aut gremio matris moritur filius viduæ illius, III. Reg. XVII. in lectulo Eliæ vitæ austera veri resuscitatur.

III. Non vini poculum, hoc est, vini usum discretum. Ita monet apostolus Titum episcopum, velut patrem juvenum spiritualem, ad Titum, II. *Juvenes hortare, ut sobrii sint.* Perdunt enim alias eorum corpora et animas, ut ex eo patet, quod filii Noe, qui vinum inventi, adeoque posteris suis tradendo, quasi imposuit, plerique omnes, ipso adhuc vivente, per 350. annos, ad idololatricam deflexerint, Deumque oblii, gravissimas discordias et bella concitarint; non sine dolore et gemitu Noe, qui tamen a filiis suis jusjurandum exegerat, teste Epiphano, de servando veri Dei cultu et mutua concordia, ut refert P. Corn. a Lap. Gen. IX. Cui malo vinum non minimam dedit causam, quia: *Vinum apostatare facit sapien-*

tes, Eccle. XIX. et Exod. XXXIII. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere,* hoc est, vitulum adorare. Fuit inter Bohemos proceres Huldricus a Casanova, qui liberos vix ablactatos ad usum vini generosissimi assuefecit. Causam rogatus a Friderico imperatore: *Ut adulti facti, ait, secure et sine damno possint bibere quantum volunt.* Cui imp. *Sapis, hoc ipsum Mithridates fecit.* (Hinc enim a teneris veneni potioni sensim assuevit, ut deinceps a veheno nihil sentiret damni.) *At mihi, inquit, si filius aliquando fuerit, nec vinum oderit, ego ipsum oderim.* Refert Æn. Sylvius, t. I. comment. in Panor.

IV. Non tibiam, hoc est, saltationis studium. Ab hoc enim dehortatur tum filios tum parentes (illos ne exercent, hos ne permittant) Job, c. XXI. dicens: *Egrediuntur quasi greges parvulorum, et infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Proh! quam nefarius est saltus, qui ad infernum deducit! Sane hoc evenit saltatrici illi Herodiadi, quæ postquam saltando Joannis Baptistæ caput obtinisset, ad extremum suum quoque perdidit. Cum enim brumali tempore fluvium glacie concretum transiret, rupta glacie, in aquas collo tenuis incidit, et ibidem in aquis saltus edidit; quemadmodum et caput ejus glacie refertum supra glaciem saltavit, ut scribit Nicephorus, lib. I. histor. c. XX. et Lucius Dexter, in chron. anno Domini 34. qui addit, transisse eam Sicorim fluvium Ilerdæ. Nonne hæc saltatrix in puncto ad inferna descendit? Neque tamen illa juvenem aliquem manu in chorea ducebat; sola ipsa coram Herode saltabat. Parum igitur dicunt, qui saltus tamquam honestos sæpe excusant, quasi periculo careant, sed neque spectare securum est; siquidem is saltus etiam Herodis animum emollivit, ut contra rationem, imo et voluntatem suam quodammodo, plecteret capite Joannem. Pastinacæ pisces tiliarum sonum audire et saltationes videre amant. Quare piscatores ad littus saltationem instruunt: ad tibias ergo illectos et littori appropinquant, saltibusque attendentes pisces retibus interim circumdant, teste Æliano, l. I. c. LVI. Imo piscator in cymba, si pastinacam unam conspiciat, moxque tibiam inflans, in cymba saltare incipiat, illa mox adnata, aut ex profundo ad summum aquæ enatat, interim ab altero nassa intercipitur, eodem auctore, l. XVII. c. XVIII. Non minus periculi habet choreas spectare, nisi quod pastinacæ capiuntur ad culinam tantum, juvenes ad gehennam.

V. Non fustem, hoc est, non sævitiam et aus-

V. PARS FESTIVALIS.

teritatem nimiam. Docet hoc Salvator in parabola illa, Luc. XI. *Quis ex vobis patrem petit panem? Numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* Lapidem ei pro pane dabit, si victum necessarium neget; si aptos et cupidos a studiis litterarum et pietatis arceat: serpentem pro pisce, si eum lingua maledica seu maledictis imprecationibus configat: scorpionem pro ovo, si verberibus, non paterne, sed hostiliter atque immaniter tractet, aut laboribus opprimat. Civis quidam Mediolanensis filio unico mortis auctor fuit eam ob causam. Quem enim in tenera ætate non correxerat, postea adultum vidit rebus ludicris et inanibus addictum: unde præter consuetudinem eum increpare cepit. Filius correctionis inassuetus, adversus insolita patris monita contumax, obtemperare noluit, pater indignatus maledictis eum invadit dicens: *Egredere e domo mea, nequam; nunquam te videant oculi mei, nisi in terram evectum; opto tibi, ut hoc die gladio occumbas.* Filius, velut furiis actus, instar Cain patris consortium fugiens, in quemdam debitorem impexit, a quo importune pecuniam exigens, eodem die percussus et occisus, atque in domum patris illatus est. Ob quam causam pater, velut amens, capillos sibi evellere, et seipsum flebiliter redarguere, velut parricidam; quod filium prius neglectum, post gravius objurgatum et diris devotum, in desperationem et mortem impegisset, Ivo magistri, in theatro exempl. LXXXVI. §. V. Quare bene monuit S. Paulus ad Eph. VI. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Nesciunt enim sana consilia sibi dare juvenes, maxime cum perturbatæ mentis sunt, et in præceps ruunt. Denique, scorpionem pro ovo dant, qui adigunt aut inclinant liberos ad certum vitæ statum contra eorum voluntatem. In Manaria quadam insula S. Maclovius, dictus Machutes, invenit hominem gigantea statura, in tumulo quodam sepultum, qui ad vitam ab eo resuscitatus, dixit se a parentibus, partim imperiis impulsus, ut de scopulo quodam, more patrio, a sacrificulis ad honorem Thyrmæ, idoli sui, excogitato, in imum se præcipitaret, Honorius Philopon. in nova navig. Ind. occid. ann. 1492. Nihil aliud agunt parentes, quando liberos suos impellunt invitos in periculosum ipsis statum. In scopulum enim honoris primum, deinde, ex hoc dolore in mortis præcipitium. Quid igitur ad extremum eis imponendum? Piscis fidei, ovum spei, panis charitatis. Ita S. Sophia matrona Romana tres filias suas, Fidem, Spem, Charitatem vocatas, ad martyrium armavit iisdem virtutibus, a quibus

nomina acceperant, et promovit ad victoriam, Metaphrastes, apud Sur. I. aug. Has etiam imposuit filio suo Tobias; fidem, cum ait: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habet Deum*; spem, cum dixit: *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*; charitatem, cum ait: *Cave ne aliquando peccato*

consentias, et prætermittas præcepta Domini tui, Tob. IV. Hi sunt tres aurei illi globi, quos præferre manu solet S. Nicolaus; tria aurea tarenta, quibus vos, parentes, ditare potestis liberos vestros, ut simul cum ipsis vos quoque omnibus ac veris divitiis circumfluatis in cælis.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. V.

EVANGELIUM. MATTH. I.

Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratrem ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigracione Babylonis. Et post transmigracionem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

CONCIONES.

- I. Multiplex liber homini propositus.
- II. Quomodo sine injuria peccatum originale ad posterios. Adæ traducatur.
- III. Privilegia Deiparæ seu stellæ duodecim quibus a Filio coronata est.
- IV. Obsequia seu gemmæ duodecim quibus Deipara coronavit Filium.
- V. Quam similis Filio Deipara.
- VI. Qua ratione Maria contriverit caput serpentis.
- VII. Christi ortus cum ad ultimam mundi ætatem dilatus.

VIII. Mystera evangelica.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Genealogiæ Christi effigies.
- II. Genealogiæ Christi ludo latruncolorum similis.
- III. B. Virgo castitatis, humilitatis et paupertatis magistra.
- IV. Qualis sit hic liber generationis Christi.
- V. B. Virgo lunæ comparatur.

CONCIO I.

MULTIPLEX LIBER HOMINI PROPOSITUS.

- I. Mundus. — II. Lex scripta. — III. Christus. — IV. Deipara. — V. Conscientia. — VI. Liber vitæ.

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.

Scitis auditores, pueros in scholis non uno tantum libro uti, sed pro ratione profectus accipere a magistris suis libros. Primo, inferioris, deinde,

altioris disciplinæ. Incipiunt ab alphabeto; deinde, addiscunt nomenclaturam; tum, pergunt ad principia, etc. Ita etiam Deus, quo instrueret mortales in sui cognitione, et recta vivendi ratione, plures illis providit libros, quibus eos ad disciplinam magis magisque perfectam gradatim perduceret. Primo, mundum istum, veluti alphabetum; deinde, legem scriptam; post hæc, Filium suum, qui viva voce doceret, etc. Hujusmodi libros aliquot nunc lustrabimus.